
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

35, — 169

IN
S
PR
NA
Dan
cum

AD
EV
ctor
liun

Incli

N

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

EPICEDION
IN OBITVM SERENISSIMÆ PRINCIPIS AC DOMINÆ, D. ANNÆ, E REGVM

Daniæ Familia, Magni illius, & omni laude cumulatiſsimi Principis AVGVSTI, VIIuiri, Ducis Saxoniæ, &c. generoſiſſimæ, & illuſtriſsimæ Coniugis.

AD ILLVSTRISSIMVM EVNDEM PRINCIPEM ELEctorem,

ipſiusq; Celſitudinis generoſiſs. filium CHRISTIANVM Ducem Saxoniæ, &c. Dominos ſuos clementiſsimos.

Tumulus Item Incliti Dn. GEORGII à Schœnburgk, Maioris, Baronis in Glaucha, & VValdenburgk, &c.

Autore

Martino Rhedero Hart: M. Leſnizĳ S. M.

1905-h. 3138

Anno

M. D. LXXXV.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Indicium anni obitus amborum, qui fuit, CIↃ. IↃ. LXXXV.

Te præcurrenti, Schœnburgica fama GEORGI,
Enſiferi Coniux Principis aſtra colit.

Indicium dierum.

Idibus hinc Septembris adis, Baro ſancte, Calendis
Regina Octobris mox ſubit Anna, Polum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

EPICEDION.

TEmpus erat, quando Schœnburgica terra gemebat,
Cultoris Domini funere mæſta ſui.
Nunc vbi præterijt nunc anni Gratia triplex,
Gratia per campos frugibus aucta bonis:
Dum cecidit roſa verna, gemit viduatus agellus,
Meſſis & Autumni quærit amanda fugam.
Sed iam merſus equos Arcturus ab axe recondit,
Solq́; Hyemis triſtes incipit ire vias.
Quæ crudelis Hyems Cererem, validumq́; Lyæum
Proterit, arripiens & bona quæq́; vorat.
Hinc auium Regina ſilet philomela, nec vllas
Tempore tàm mœſto carmen hiare iuuat,
Exceptis vlulis ſtrygibusq́;, boantibus omen
Sæpe malum noſtris, nocte ſilente, iugis.
Æolus & vaſtis ventorum clauſus in antris
Dux rabidis nimiûm ſoluere fræna ſolet,
Qui procul emiſſi coëunt in mutua fratres
Arma, ſimul terras ſollicitantq́; freta,
Crebrius inuadunt iuga celſa, vel impete turres,
Vt qui ſtrata velint omnia, verſa velint.
Vt peſtes cieant, incendia, damna, procellas,
Horribiles motus, terrificosq́; ſonos.
Hi ſimul inſolitis miſcebant prælia pugnis,
Prælia venturi conſcia (credo) mali:
Hîc vbi Leſnizio Schœnburgicus imperat Heros,
Commiſitq́; Scholæ fræna tenenda mihi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Mœnibus egrediens ad Muldæ Miſnidos amnem,
Huc illuc animo cum ſpaciante feror.
Tum mihi nec tempus, nec ſuauis, vt antè, voluptas
Quærere Pegaſei flumina montis erat.
Mille ſed expendens caſus, hominumq́; labores,
Mille dolos, ventis turbidus illa fero:
Res vtinam noſtras melius fortuna gubernet,
Sæpe benigna malis, ſæpe maligna bonis.
Sperantes patimur, ſed ſpes & meſſis in herba
Obtinet euentum non benè certa ſuum.
Proh dolor, inuiſas hac tempeſtate Camænas
Nulla manent vnquam præmia, nullus honor.
Quid, niſi triſte ſapit, monſtroſaq́; dogmata ſpargit?
Quid, niſi quod ſuperis diſplicet, Orbis alit?
Spreta iacet Pietas, iuſti manet ira Tonantis,
Quæ niſi placata, deteriora manent.
Deuoueo Diris commota mente Colubrum,
Qui per malum homini contulit omne malū,
Vt nihil inde bonum conſtans durabile reſtet,
Quæq́; diu ſperes firma, repente cadant.
Vel citò, vel ſerò Mors vnica deuorat omnes,
Proſternens varijs corpora noſtra modis.
Stat ſua cuiq́; dies, nihil eſt incertius hora
Mortis, at hac poterit certius eſſe nihil.
Soluimur in nihilum (quid enim ſumus antè) re-
Sole velut fumus, manè pruina ſolet. (ſolui
Plura quid? incerta gemebundi ſede moramur,
Hoſpes vt ignotis exterus errat aquis.
Incipit à lacrymis, in ijſdem deſinit omnis,
Pluribus & varijs vita peracta malis.

Ergò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Ergò quibus confidis homo, quibus vmbra ſuper-
Spes tua ſit Chriſtus ſolus, & vna ſalus. (bis?
Hæc ſimul ex animo (varijs vt ſæpè monetur
Caſibus) obieci debita verba Notis:
Conſtitit ante meos delapſa per æthera vultus,
Triſtibus è ternis Atropos vna ſoror.
Territus obſtupeo, qualis ſibi fortè viator
Extimet & viſo retrahit angue pedem.
Exanimes artus & territa membra tremiſcunt,
Vt cùm populeas ventilat aura comas.
Neſcio quid funeſti adeò, toruiq; videbant
E cœco veluti lumina clauſa ſpecu.
In labris alius nec erat, quam frigore læſis,
Qui veniente ſolet frondibus eſſe color.
Inſtar & incurui geſtabat acynacis enſem,
Fatalisq; modò ſtamina ſecta coli.
Illa ſed heu triſtes animos pallore fatentis
Suſtulit inductos flebilis ipſa metus.
Quod timeas, nihil eſt: nec enim tibi damna mina-
Rupta ſed alterius fila putabis, ait. (mur,
At non falſa refers: Quis enim ſit funeris expers?
Quis precor hac noſtra forcipe liber agit?
Ferrea lex noſtra eſt, quæ vitæ terminus omnis,
Cuiq; ſuæ mortis ſtat genus, hora, dies,
Naſcitur & viuit tàm fauſto ſidere nemo,
Tentetur nullo qui ſapiatq; malo:
Sic nihil omninò, vita quod veſcitur aura,
Hac à falce diu ſoſpes in orbe manet.
Nos Irum & Craſum iuuenesq;, ſenesq; vocamus
Sub tumulum, & quemuis, ſi iubet hora, virũ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Nos Prædam Paridis, Samium, nos robur Achil-
Vicimus, & Phrygias qui tenuiſſet opes. (lis
Principis Auguſti cecidit ſic regia coniux,
Me modo fatali fila ſecante manu.
Quod ſi nos minimè parcentes, flectere poſſit
Splendor, opes, virtus, gloria, forma, genus:
Illa quidem Pylij vixiſſet Neſtoris annos
Digna, ſed elapſo fine, peremta cadit:
Tunc vbi luſtra decem viuendo peregit & vnum:
Digna ſatis regum ſanguine, digna Ducum,
Adde duodecies, ſemel & trieteridis annos,
Adde dies ſeptem: lux memoranda patet,
Inclita cùm ſocij celebrauit gaudia lecti,
Nupſit & enſifero Regia Nympha Duci.
Tùm ſubijt Nonis Octobris, iamq; Calendis
Deſerit eiuſdem, nec ſine prole torum.
Quam vel adhuc teneram cœli præmiſit in arcem,
Vel partum Patriæ liquit in orbe Domo,
Vnde ſit antiquæ virtutis & æmula Gentis
Stirps reliqua, & ſimilis poſteritatis honor.
Parte ſed AVGVSTVS *Princeps meliore minutꝰ*
Dimidium cordis ſentit abeſſe ſui.
Non minus ergo gemit, celebris quã Cecropis ales
Turtur & amiſſa Compare triſte gemit.
Aggemit huic Soboles, obitus inopinaq; Matris
Fata dolens, fauſtum quæ minus omen habẽt
Illius hinc aulæ guttis madet angulus omnis,
Omnia ſi videas, omnia fletus habet.
Hinc præcelſa etiam lacrymas ſtillante columna,
Turbata videas marmora flere Domus.

Que

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Quem deſiderium, quem non capit Heroinæ?
Si modò quem tangant conſcia fata mali?
Quid loquar? vt verſent ſuſpiria Principis orbem,
Luctus & externos, hæc vbi fama volat.
Qualiter amiſſo turbatur ouile magiſtro,
Quod leo terribilis dilaniatq; lupus,
Quàm grauiter totum doleat, corpusq; laboret,
Parte reſcindenda, vel pereunte ſui,
Qualis & in medijs Neptuni fluctibus, orto
Naue ſua fracta turbine, Nauta gemit:
Præ reliquis verùm, quibus hæc ſint funera cordi
Edere Pegaſides publica ſigna decet,
Quæ vel ad Oceanũ, vel Balthica littora ſurgunt,
Ad Varnæ fluuij culta roſeta ſedent:
Odera nec renuet, vicinus & Albis Eliſtri,
Regia fluminibus buſta rigare ſuis.
Fonticulos tenues genialis Mulda ſubaddet,
Hîc vbi Saxoſis dat vada parua iugis.
Scilicet hoc pietas, cunctis adamanda, requirit,
Vt fieri ſanctis debita iuſta velim,
Vulnus & exoptem lenitum animiq; dolorem,
Quē capit AVGVSTVS, Stirps generoſa capit.
Communis Patriæ Pater, hic dicendus Aſylon,
Dignus hic Aonidum munere, fonte, choro.
Digna ſit illius comes, & fidiſſima coniux,
Funere quæ moueat totum Helicona ſuo.
Cuius enim virtus, Muſarum munere, viuit,
Scimus in hunc Parcam iuris habere nihil:
Dum non diuitijs inhiant, rebusq; caducis,
Sed ſibi, ſed laudi Numinis vſq; vacant.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Nam licet in cineres redeat ſub marmore clauſus,
Ille tamen, ſcripta laude, ſuperſtes agit.
Omnia cum pereant rigidis obnoxia Fatis,
Sola manet virtus, docta Thalia manet.
Sic neq; Penelopes Regina, maritus Vlyſſes,
Dido vel Æneas, carmine clarus, obit.
Dignior hoc ſupereſt & munere viuet in æuum
Principis Auguſti quæ fuit Anna decus.
Sic tibi ſum monitrix, qui flumina dicta ſecutus
Pierij fontis fidus alumnus eras,
Vt ſimul incipias, Cupreſſu tempora cinctus,
Addere funeſti triſte doloris opus:
Ne bona, quæ regnis ſunt anteferenda, maligno
Vllius impulſu linquere tanta velis.
Quæ nunquam didicêre alij, benè carpere norint:
Digna tamen veris gratia danda bonis.
Ritè DEI *laudes terræ ſonet angulus omnis,*
Principis AVGVSTI *facta benigna ſonet.*
Finijt hæc Parca: at non ſegnior alite Cœlum
Vidit, & ex illo non mihi viſa fuit.
Hæc vbi: percipiens mecum noua nuncia mœſtus,
Molda Pater madidum ſuſtulit amne caput.
Signa dedit luctus, multo turgentia fletu
Lumina, nec vacuas rore madente genas.
Fertur & huc illuc, ebrio ceu percitus Oeſtro
Bis geniti, & rauco murmure pulſat agros.
Mox tremulus, dubiusq; diu, quaſi lumine tactus
Gorgonis, aut anguis ſetigeræq; feræ.
Dicere conatur, ſed quid profecimus vnquam,
Singultu medios impediente ſonos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Tùm pia mens Moldæ creuit, vireſq́; reſumens
    Hæc in lanigeras ſparſit ab ore Deas.
O Cloto, ô Lacheſis, tuq́; Atropos inuida, Parcæ
    Quis tales titulos, tantaq́; ſceptra dedit?
Lenia conueniunt rigidis malè nomina Fatis,
    Vos niſi diuerſa conditione vocem:
Cum ſitis crudele genus, nec flexile quiddam,
    Quod neſcit minimis parcere fortè modis.
Vos crudele genus, nec enim vos parcitis vllis:
    Non ita vos rectè nomina veſtra manent.
Vos crudele genus: nam ſi qua lege poteſtas
    Vos data, ſi noſtri vis valitura manet:
Cur potius reges non extirpatis iniquos,
    Qui lacerant Chriſti Marte doliſuè gregem?
Aut alias peſtes, rerumq́; venena bonarum,
    Quæ paſſim, nullo vindice, robur habent.
Florida quæ cernis modò, iam citò ſecta ſubarent,
    Vallibus in noſtris piniferiſq́; iugis.
Nulla canit volucris ſolamen ab arbore mœſtis,
    Nocte ſed hîc ſtygias audio læſus aues.
Per tribulos arces, ſpinaſq́; relabor acutas:
    Non locus eſt herbis aura nec vlla roſis.
Nam digni vita pereunt, plebs cætera viuit
    Denſior, improbitas cui comes ire licet.
Interea iuſtus patitur terramq́; relinquit
    Spe prius, & ratio nullius eſſe ſolet.
Spirantes hodie, cras forſan abimus in auras,
    In quacunq; ſiti conditione ſumus:
Vt flores pereunt, nullo diſcrimine, quando
    Diſcindit ſolidam vomer arantis humum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Heu mihi, quàm paucos homini decernitis annos?
Vita quid eſt aliud, quàm breue mortis iter?
Ergo ideò cerui volucres, & garrula cornix
Dicitur in multos viuere poſſe dies.
Vni, vni, inquã, homini breuis eſt data portio vi-
Quàm ſubitò metas contigit illa ſuas? (ta:
Haud adeò properant volitante relinquere curſu
(Credite) riparum curua fluenta iugum.
Impete nec ſimili verrit caua nubila ventus:
Ceu fugat ex animis ſomnia vana quies.
Sic roſa, quæ tenero iam murice tincta rubebat,
Carpitur & tenui flamine cæſa perit.
Præcipites fluuios, cantatis protinus herbis
Siſtere & Æaam vertere poſſe ferunt,
Sic quoq; quadriiuges ſiſti, figiq; volantes
Solis, & alipedes nocte regentis equos.
At licet hæc poſſit verbis & carmine Circe,
Vos tamen inuictas vincere ſæua nequit.
Ipſe licet, tellus latè quas fuderit herbas,
Phillyridesq; vigil pharmaca cuncta ferat,
Pocla vel Ambroſiæ (qua pellitur ægra ſenectus,
Perpetuoq; viget læta iuuenta) bibas:
Aut Phrygis Aſſarici quamuis Tithonia coniux
Rore ſalutifero pallida membra riget:
Nemo tamen reuocet decurſæ ſtamina vitæ,
Nemo fatalis fila reciſa colus.
Quid querar aut referam? ſimili cadit inclita lap-
Dotibus auguſtis Mater adaucta cadit. (ſu:
Principis AVGVSTI cor, mens, oculusq; Marita
Stemmatis antiqui fida columna cadit.

Ill

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Ille cadit Patrij flos, & roſa maxima ruris,
Cretaq́; de regum ſanguine gemma cadit,
Indolis eximiæ ſolamen & vnica Natis
Spes abit, auxilium confugiumq́; bonis.
Sic ideò occubuit Letho, maneſq́; ſubiuit
Cumæos verè viuere digna dies.
Haud aliter cecidit nuper Schœnburgicus Heros,
Vallibus & ripis ſtirps generoſa meis.
Vſq; adeò nec opes nec honos ampliſſimus vllum
Liberat, & virtus, nec pietatis amor.
Heu lacrymanda dies & noctis amarior vmbris,
Quas tenebras tandem,nubila,damna paras?
Quas lacrymas guttaſq́; maris Cœliq́; cadentes
Quos rapidos fluctus hîc alibiq́; paris?
Ut plures alios quamuis conturbet in horam
Tempeſtas multis ſæpe ſuborta locis.
Nubibus & nebulis Sol obfuſcatus oberrat,
Illuſtret radijs ne vada noſtra ſuis.
Inuidet hic Soles terræq́; mariq́; ſerenos
Ne loca ſint,tempus, frugis & aura bonæ.
At vos quas ſolido Virtus in honore locatas,
Et tulit, & pietas ducit auita, Nurus.
Vos reliquæ matres,vos ingeminate querelas,
Fletibus & fletus adde iuuenta meis.
Proh dolor, exemplum decus & virtutis auitæ,
Atq; pudicitiæ regula ſancta perit.
Natura bonitas feliciter adfuit illi,
Corporis inſertis, ingenijq́; bonis.
Diuitijs Iuno ceſſiſſet,& aurea formæ
Cypris, honeſtati Pallas, amica Dijs:

Ut faci-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Vt facilè æquaret veteres Regina, nec vnquam
Ingenium ferret nobilitate premi.
Eſt aliquid, naſci magnorum ſtirpe parentum,
Et iactare ſuæ facta ſuperba Domus.
Phœbæam neſcit generare Cayſtrius ales,
Non edit ſtygiam Cecropis ales auem.
Nobilis exurgit generoſo ſtipite fructus,
Paret & agricolæ quiſq; benignus ager.
Maius at eſt, ſi quis maiorum ſemina ſeruans
Stirpe ſua dignus non malè digna facit.
Talis & hæc verè generoſa recenſet auitum
A longa regum poſteritate, genus,
Quorum ſacra velim cunctis dare flumina geſtis,
Latius anguſtis flexibus eſſet opus.
Hinc proprio nixu virtutis ad ardua tendit,
Et nutriit veræ nobilitatis opus:
Quasq; tulit laudes in noſtri Principis oris,
Albis & Aonius teſtis Eliſter erit.
Hic ego qui tenui Schœnburgica limina fluxu
Alluo, per ſyluas & iuga teſtis ero.
Vos cum pupillis viduæ conſcindite crines,
Et multùm afflictas flete, dolete vices.
Quæ veſtri curam geret? Hac obeunte manebit
Sors grauis, & rerum durior iſte ſtatus.
Prouida ſubiectis facilem Pandora creârat,
Fuderat innatæ tùm bonitatis opes.
Sedula quam vigili ſit cuſtodire magiſtro,
Atq; ouium teneros cura fouere greges.
Sic orbas habuit curæ, ſimul adfuit ægris,
Pauperibus largas præbuit illa manus.

Diuina

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Diuinæ cùm ſortis erat, nil mitius illa,
Principe ne minimos deſpiciente, fuit:
Quàm non faſtus iners, nec vana ſuperbia cepit,
Vlla nec argenti prodigioſa fames.
Rumpite cum Phœbo diuturna ſilentia Muſæ,
Quiſquis Hyanthææ plangat alumnus aquæ.
Plange Themis, lacrymas Chriſti Reſpublica iunge:
Parte tuum columen, parte labaſcit apex.
Prædita iudicij nam quo candore virilis?
Quæ poſuit cauſas dexteritate tuas?
In qua tanta fides, tanta obſeruantia recti,
Tantus erat ſuperûm conſpiciendus amor.
Siue ſub occaſum, ſeu Sol ferretur ad Ortum,
Pro Patriæ fecit vota ſalute DEO:
Non minus ex animo doctos ſanctosq; colebat,
Qui curam veræ Relligionis habent.
Quam qui Iuſticiæ memores oracula ſoluunt,
Æqua viris iuſtis, ſontibus æqua viris:
Quam qui Pæonias edocti & Apollinis artes
Corporis ægroti damna liquore leuant.
Adde quod excubias ſimul egit, & adfuit autor,
Omnibus, vt vigiles in ſtatione forent,
Ne mala Sacrilegæ peteret contagio linguæ,
Quæ tot cotidiè conficiuntur, oues.
Cum modò turbetur varijs Eccleſia ſectis,
Et tot diſſidijs heu labefacta ruat.
Nec mirùm: à teneris Pietati aſſueta relegit,
Audijt, & didicit ſedula, verba DEI.
Hinc iuuit, voluitq; ſacros ſeruare labores,
Non retinens parcas in pia facta manus.

Fida

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Fida Sarepta fuit, Clarijſq́ꝫ Patrona puellis,
Hîc quibus eximius, ſpretius eſtq́ꝫ nihil.
Nempe bonas artes nutrijt, fecitq́ꝫ Virago
Creſcere Pierij culta vireta chori.
Illius impulſu fuit auctus Eliſter, & Albis
Sumtibus, & ſacris accumulatus aquis.
Quà varij fructus ſurgunt, varijq́ꝫ colores,
Et decus ingenij docta iuuenta capit.
Vnde faui Chriſto, Patriæq́ꝫ ſalubrior olim
Gloria depellens noxia phyltra, foret.
Nouit enim Princeps, ſtudijs pereuntibus, æquum
Quòd iaceat, veræ quòd pietatis opus.
Non ita tám Princeps voluit, quàm Mater habe(ri
Quæ ſtuduit Patriæ, quæ placuiſſe Deo.
Si quis in elapſos longè reſpexerit annos,
Si qua cui dederit nôſſe futura Polus:
Non multas adeò tulerit generoſa vetuſtas,
Nulla ferent illi poſtera ſecla pares.
Deniq́ꝫ nunc, fruſtraq́ꝫ tamen, cognoſcimus illud
Sæpe bonum, amiſſa ſæpe vocamus Heram.
Occidit, ah dicas, tanta cum Principe virtus,
Occidit & terris cœpit abire Fides.
Hæc vbi Molda iacit recto per inane volatu,
Nos niuea Virgo veſte togata petit.
Conſtitit aſpectu ſuperans vaga lumina Cœli,
Gutture Diuino talia dicta dedit:
Ecquid geſtus iners & inania murmura poſcunt,
Molda Pater, toties ſquallide Molda gena
Crinibus euulſis niueo de vertice, pectus
Quid iuuat indignis triſte ferire modis?

Par

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Parce tibi, parcas nimio indulgere dolori:
Cuiq́; rei finis certus ineſtq́; modus.
Nil valet inflexus rigor, aut ſolaminis expers
Mollicies. Pietas vota fidesq́; valet.
Quæ mutare nequis, diſcas perferre decorus:
Non licet in ſummum bella mouere Deum.
Quisq́; feret manes, nec homo reuocabitur vllus,
Quem ſemel exceptum Tartara nigra tenent.
At quæ, terricolis lacrymarum in valle relictis,
In CHRISTO *clauſit fœmina ſancta diem:*
Non leuis Elyſijs in vallibus vmbra ſuberrat,
Vel tranſgreſſa Stygis, vel Phlegetontis aquas.
Sed licet exuuias & contegat oſſa ſepulchrum,
(Factus homo terris redditur omnis humo)
Mens tamen, aura velut Diuina, receſſit in auras
Ad Patriæ æthereas, qua fuit orta, plagas:
Cingit vbi nitidam ſacro diademate frontem,
Lectaq́; de viuo ceſpite mala gerit.
Quæ ſimul auguſti gremio ſuſcepta Tonantis,
Dulcia perpetuæ gaudia pacis agit.
Pignora cara videns lætis amplectitur vlnis,
Eius ab vberibus quæ breuis hora tulit.
Inter odoratos paſcit ſua lumina flores,
Sidereo Chriſti nectare tincta, roſis.
Vt ſplendens ſuperat lapides Carbunculus omnes,
Mittit Erythræi quos procul vnda maris:
Sic Regina micat Princeps Heroidas inter
Aſtricolas, Cœli lux, Roſa, gemma, decus.
Quid? cupiatne redux portenta reuiſere Mundi,
Cui fragilis ſordet gloria, ſplendor, honos:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Cui datur æternum ſummi Ducis ora tueri,
Et Cœli proceres, inter & eſſe choros:
Suauis vbi plauſus Chriſto, ſine fine, piorum
Dantur, & Angelicis Muſica plena modis!
Felices animæ, quas viui luminis Autor
Auocat, & patrio colligit antè ſinu:
Maxima quàm meritas expendat & impia pœ(nas
Turba, ſecuturis conficienda malis.
Partibus à cunctis mare, terra, Poluſq́; minatur:
Peſte, fame, gladio, puniet igne Deus.
Fallor? an illa dies pernicibus aduolat alis,
Quæ ſua reſtituet manibus oſſa Dies.
Ceu redit arboribus flos & ſua lilia pratis,
Quæ modò perdiderit frigore triſtis Hyems.
Abditur ad fluuios deplumis Hirundo cauernis:
Vere nouo aëriam carpit, vt antè, viam.
Sic abit in cineres Phœnix & ab igne fauillas
Hinc ſolitò longè pulchrior exit auis.
Læta dies ideò, nec lamentabilis hora eſt,
Quæ benè Reginam tollit ab orbe Ducem,
Ne videat clades Patriæ, Imperijq́; ruinam,
Nequitias hominum, multipliceſq́; dolos.
Sic data dicta tibi vertant in gaudia luctus,
Oris & abſtergat flumina certa Fides.
Sis pius & Buſto regali germina ſpargas,
Quæ paris, Aoniam nunc vbi prodis aquam
Ecquis iners doleat Cœleſtis gaudia vitæ?
Regna quis inuideat ſplendidiora ſuis?
Fluxerat hic Diua, ſpirans non friuola, ſermo:
Deſuper è viuis fontibus hauſtus erat.

Mune

Munere iam defuncta pio, fugit æmula flamma,
  Forſitan his minimè Diua ſiniſtra iugis.
Molda ſed ex animo lacrymas ardore ciebat,
  Sæpius abſtergens flumina mœſta genis:
Fleuit vt Anchiſes, quandò, poſt funera, Natum
  Elyſij Tempe ruris adire videt.
At caput abſcondens multò tranquillius errat,
  Flexibus & placidis lambit amœnus agros.
Ipſe mihi mœror curis & funere ceptus
  Soluitur, Angelicum Virgine dante ſonum.
Et modò deficiens ad nuncia læta reuixi,
  Vt redit infuſo languida vena mero.
Durus enim verè lapis & Marpeſia cautes,
  Flectere quem nequeunt myſtica verba DEI,
Addere cum poſſint validum ſolamen, vt illis
  Dulce ſit auditis viuere, dulce mori.
Saluifica pectus recreatur munere Vocis,
  Vt vigil admota lampade flamma viget.
Solus homo inferior cunctis animantibus eſſet,
  Si dubiam vitæ ſpem melioris alat.
Perpetuus dolor eſt hæc vita, laborq́; dolorem
  Parte Deus releuat, parte laboris onus.
Sors adeò ſeu læta iuuat, ſeu triſtior vrget,
  Gaudeat in Domino, ſic & iniqua ferat.
Sic ego ſic vndis luctus fomenta reliqui,
  Sic animi curas, damnaq́; ſæua Notis.
Nec mora: non ceſſante feris Aquilone procellis,
  Ad ſuetos fugio, vilia regna, Lares.
Colloquijq́; memor mandata capeſcere tento,
  Funeris in tanti, Semideûmq́; decus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Muſa quidem celſas humilis diffundere laudes
Vberius vena paupere ceſſat opus.
In mea cùm tenuis ſubeat modulamina riuus,
Quem ſæpe immitis turbat & aura premit.
Turpe foret, capiti grauius ſubmittere pondus,
Turpius accepto ſuccubuiſſe iugo
Nempe Sophoclæo ſint illa canenda Cothurno
His, quibus Aonidum turba nouena fauet:
Quos hedera cinctos caput, & Daphneide Lauro
Principibus celebres gloria digna facit.
Addo quod hæc animo ſententia fixa ſederet
Amplius haud Clarij fontis amare Deas.
Sed præſtare, leui quæ vulgo fortè placerent,
Et quibus eſt alijs copia iuſta mei.
At velut eiurat victus luctator arenam,
Immemor & capti vulneris arma capit.
Qualis, cū Pelago ſibi nil fore, Naufragus inquit,
Attamen ingreditur, quò fuit antè, fretum:
Sic ad deſuetos trahitur mea Muſa labores,
Sic minus aſſuetas audet adire vias.
Imparibus pergit numeris, & ſimplice cultu:
Nec Pietas retrò flectere vela ſinit:
Pergit, vbi nullum videas, qui remige docto
Dirigat incertam per freta cæca ratim.
Fallor? an hîc portus, ratis hîc deuenit ad oras?
Ferre licet tandem qualiacunq; licet.
At vos SEMIDEI, priſcæ duo maxima gentis
Lumina, Natalis vos duo fulcra ſoli:
Optime SEPTEMVIR, qui verè temporis huius,
Alter es AVGVSTVS, gloria, fama, decus.

Tuq;

Tuq; Patris tanti SOBOLES, ſucceſſor, & hæres,
Omine qui CHRISTI nomina parte refers:
Dum melior veſtri Pars, & Spes optima Gentis
Deſerit illuſtrem Mater amica Domum,
Ut queat, è Mundi tantis erepta procellis,
Liberiùs Cœli pace vel arce frui:
Sumite clementes animosq; reſumite lætos:
Rebus in aduerſis pectora magna decent.
In tanto Aonidum contemtu & turbine rerum,
Muneribus faueat blandus vterq; meis,
Quæ ſoluo cineri Reginæ debita Matris,
Solius & veſtri ductus honore lito.
Sunt (fateor) ſterilis, parui ſunt germina ruris,
Miſſa nec è Clarijs nec benè parta iugis.
Audeo quod minimus, genialis & adcola Muldæ,
Maiori faciet Muſica laude cohors,
Diues vbi ſpirat Philyræus Eliſter, & Albis,
Pegaſeas, veſtro munere magnus, aquas.
Ubertas alijs ſpectetur aceruus & ingens,
Parua minùs parui ſunt facienda mihi.
Non magis è fluuijs bibitur, quàm fonte puſillo,
Pocula qui præbet limpidioris aquæ.
Hoſtia nec ſemper taurus mactatus ad aras
Plus mouet, ac parui thuris acerra Deum,
Qui iuuat imbelles adeò, nec deſpicit vllum,
Nititur in lepidis qui placuiſſe bonis.
At, niſi decipior, labor eſt & grata voluntas,
Hæc ſi percipiam præmia fortè, ſat eſt.
Ne verear, ſperare iubet laus, gloria, virtus,
Vectus, & in Muſas laude vehendus amor.

Sic precor, AVGVSTIS *ambobus vt augeat annos,*
Qui dedit Auguſtus lumina bina DEVS,
Vnde ſuas laudes, regnumq́; peraugeat orbem,
Regibus auguſtis, Pieridumq́; bonis:
Hæ celebrent, illi celebratu digna faceſſant:
Augeat hinc Patrij cœlitùs orbis opes.
Augeat vt tumulus virides ſub marmore flores,
Pax eat, & ſanctis manibus aucta quies.
Inde ſit Auctori rerum laus ſumma bonarum,
Cuncta per AVGVSTVM *qui cupit aucta*
(Deus.

EPITA-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

EPITAPHION

INCLITI
D. GEORGII A

SCHOENBVRG, MAIO-
ris, Baronis in Glaucha & VVal-
denburg, qui circiter LXIIII.
annum ætatis ſuæ expirauit Idi-
bus VIIbris, ſepultus V. Octo-
bris, anno Salutis
1585.

ad

DN. GVOLGANGVM,
ET IOHANNEM ERNESTVM,
Gvolgangi, feliciſs. memoriæ, Filios:
Itemq; Dn. Georgivm, D. Hvgo-
nem, D. Vitvm, Hvgonis, etiam
piæ recordationis F. Dn. Georgii no-
uiſsimè in Domino obdormiuiſcentis ami-
tinos generoſiſsimos, Domi-
nos ſuos clemen-
tes.

HIc de Formoſa cubat arce GEORGIVS
Heros,
Qui de terricola nomina vera
tulit.
Nam coluit viuus, moriensq́ per omnia Christum,
Cuius & arripuit vulnera quina Fide.
E quibus emanat, præbens ſolatia, Sanguis,
Qui maculas hominum, crimen & omne luit.
Illius vt ſucco mundetur credulus omnis,
Et petat ex imo ſumma theatra luto.
Adde quod Aſtrææ Phœbiq́ roſeta colebat,
Sæpe rigans Patriam Fonte ſalutis humum,
Aſpera Pierijs alienaq́ pectora campis
Non nutrijt, clauſas non (mihi crede) manus.
Cultor at effectus, terra ſublatus Olympi,
Mutato variant nomina clara loco.
Spernit enim ſordes & regna fugacia Mundi,
Quæ coluit ſocius fratribus æqua tribus:
E quibus ERNESTVS, Patrij qui nominis heres,
Leucoria Muſis carus in vrbe fuit,
Doctus & ad Superos venit iuuenilibus annis,
Tradidit huic ſedem, regna colenda, torum.
Sic Glaucham tenuit, Guolgango Peniga manſit,
VValdenburga tibi nobilis HVGO fuit.
His tribus vna fides, veſtigia clara ſecutis,
Vnus & affulſit Spiritus, vnus amor,
Iam ſimul emeritos, Supremi Regis in aula
Splendentes ataui pectora iuncta vident.
Quiſq́ ſuum nomen tamen & ſua ſemina liquit
Ornando Patriæ non inimica ſolo.

In

In Nato ſuper es, Guolgange, Georgius, Hugo,
Fratris at Erneſtus prole, Nepote Parens.
Quid loquar? exurgit creſcẽte propagine VITVS,
Primus in hac Dominus qui ditione fuit.
Illuſtres animæ ſaluete, quieſcite membris,
Quæ iungenda etiam gaudia iuncta manent.
Viuitis in Natis, & adhuc virtute nepotum,
Viuitis in Superis, hîc licet oſſa cubent.
CHRISTE *Salus animæ, Spes viuis vnica, ſer-*
Has animas laudi, viuaq́ꝫ fulcra tua. (*ues*
Hæc cano defunctis, noſcantur vt omina viuis,
Terra quibus ſupereſt, reſtet & aula Poli.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Idem in Germanicos rythmos conuerſum.

HErr Wolff von Schönburg ruht alhier/
Von Erdbaw recht ſein Nahmen fürt/
Denn er gebaut auff Chriſti Todt/
In leben vnd in ſterben noth/
Da er jetzt wolt von hinnen weichen/
Thet er nach dẽ fünff wundẽ greiffen/
Aus welchen fleuſt das tröſtliche Blut/
Das alle mackel abwaſchen thut.
Ein jeder wird gereinigt woll/
Wenn er gelaubt / wie ein Chriſt ſoll/
Aus dieſn vnſaubern Jammerthal
Wird er erhebt in höchſten Saal.
Alſo baut er ſeins Vatern Land/
Mit Recht vnd Ehren weit bekand/
Dadurch die Brünlein floſſen klar/
Der ewigen Seligkeit vorwar.
Er was kein feind der Edlen Kunſt/
Die Muſæ ſangen nicht vmbſonſt/
Nach wirden er die nehret vnd ſchützet/
Welche der groſſe hauffen trücket.

Jetzt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Jetzt aber nun baut dieſer Held/
Den rechten Schönenburg vnd Zeld/
Nach dem das vnreine iſt hinweckn/
All kranckheit/ſünd vñ böß anfechtn.
Fragt nichts nach dieſer welt pracht mer
Geweſen aus vier Brüdern ein Herr/
Zu Glaucha ſeins Vatern Hoff beſas/
Zu Waldenburg Herr Hugo was/
Herr Wolff in Penigk lang regieret/
Herr Ernſt der elteſt wol ſtudieret/
In blühenden Alter ſchied von hinnen/
Sein zeitlich Reich dē Brüdern güñet
Die hatten dieſe Herrſchafft drey/
Vnd einen Geyſt/Will/Hertz dabey/
Ihr dreye waren nur ein Herr/
Wie man von etzlichen ſchreibt mehr/
Jetzt ſehen jhre Vorelttern ſchon
Sie leuchten all in höchſten Thron/
Doch hat ein jeder ſeinen Nahm
Gelaſſen/vnd auff Erd ſein Sahm/
Damit ſich diß Land weiter mehrt/
Mit guten früchten wol geehrt/
Das vnkraut werd gantz außgerot/
Das Rechte nicht leid hon vnd ſpot.
Denn wo arg herſcht vnd Barbarey/
Wie kan das gute wachſen bey?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Herr Wolff in Son noch herſchet hier/
Herr Görg/ Herr Hugo leuchtn erfür
Dergleichen Bruder/ vñ Vatter Ernſt/
Auch andre Groß Eltern von fernſt/
Was ſol ich ſagen? Dieſer zeit
Entſtehet wider auch Herr Veit/
Der vor zweyhundert ſieb ſiebentzig jhar
Graffſchafft Hartenſtein ein Kauffer
O ſelige ſeelē inGott durchleucht/ (war.
Von mir/ zu danck/ gegrüſſet ſeit/
Die Leibe ruhen in der Erden/
Biß ſie gantz hell erwecket werden/
Ihr lebt in Kind vnd Kindes Kind/
Ob gleich ewre Leib vergraben ſind/
Vnd warten in den letzten Tagen/
Von Gott ein ander Lebn zuhaben/
Deñ Leib vnd Seel zuſammen kümbt/
Wenn dieſe Weld ein ende nimbt.
O Seelen Artzt vnd Heyland Chriſt/
Der lebendē ein hoffnung biſt/ (ſtams
Tröſt die Seeln des Schönburgiſchn
Zu lob vnd ehr deins heiligen nahms.
Diß wünſch ich den verſtorbenen all/
Auch andern zu glückſehligen fall/
Ihr Edlen Herrn noch am leben/
Erkennets mit genaden eben/

Diß

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Diß alles will Gott habn mit ehren/
Beyd hier vnd dort ſein Reich zumeh;
Weil jr den Vätern folget gleich/ (ren/
So bleib euch auch jr Himmelreich.

In Diœceſin Schœnburgenſem.

Arx tenet hanc terram Formoſa, tuetur & ornat:
Cedite vos pulchris fœda nociua bonis.

Ad Generoſum Dn. Guolgangum
à Schœnburg.

Quod mihi ter meliùs cupis ire boniſq; Camœnis,
Mitis & humanis, ſed lupus ire feris:
Quàm benè tu, laudande refers Baro nomine Pa-
Siue bono greſſu ſcribere, ſiue lupo. (trem:

Martinus Rheder Hartenſtei-
nenſis, M.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Ad veſpas, crabrones, & muſcas Muſarum campos vndiq; infeſtantes.

IAm quibus extinxit Patrij duo lumina ruris
Parca mali parcens, prodiga Parca boni.
Quod cano, ſex faciunt priſca noua ſidera gentis,
Et Pater AVGVSTVS *Pegaſis auctor aquæ:*
Parcite vos veſpæ, crabrones, cedite muſcæ:
Nulla DEO, DIGNIS *muta nec ora gerã,*
Donec in his vnum fulgebit, agetq; ſuperſtes
Lumen, et AVGVSTVS *Numinis inſtar aget.*
Hæc ego vel Superis vel adhuc lucentia terræ,
Ut potero. ſupereſt dum mea vita, canam.
Sed quia polluitis vel pungitis omnia roſtris,
Trado cui immeritas, morte vocante, vices?
Parcite nec viuo, nec erit poſt funera vindex:
Talia ſunt cantus præmia nempe mei.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 88 [35,-169 8°]